



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

De communi clericorum statu, votoque cœlibatus seu castitate ab eisdem
obseruanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

fiat, ut errore quopiam, vel exorbitatione sacrilega à cultu Diuinitati debito abstrahantur, sed potius sine omni perturbatione suæ legi seruiant, qui dum maxima diuini cultus ministeria perficiunt, communibus rebus plurimum prodesse videntur. Vale Aniline honoratissime.

DE COMMUNI CLERICORVM STATV.

Quæ Christianæ religionis sacris initiatur, ab ipsa usque nascentis Ecclesiæ infantia Clericos appellatos esse, Aliciatus lib. 5. Parergon refert: et quod Græcis Cleros sit idem quod fors, clerici per sortem deligi solebant olim, iux. C. clericos. dist. 21. Quæ tamē electionis forma sacrorum canonum iure hodiè non approbatur. c. si. extra. de sortileg. eò quod certo iudicio deligendi, et approbandi sint. Quidam ideò sic dictos putant, quod quilibet in decurias suas distribuere, ut sibi mandato munere fungi posset: vnde constitutos fuisse ostiarios, psaltes, Lectores, exorcistas, Acolythes, diaconos, subdiaconos, presbyteros et Episcopos. Qui demum communi quodam vocabulo clerici dicti sunt. Inualuit etiam vsus, ut promiscue fere sacerdotes vocarentur: sub qua ditione, cum sit vetustissima, etiam Gentiles, præsertim Romani recensere suos Flamines, Diales, Martiales, Quirinales, Salios, Pontifices minores, Pontifices maximos, Reges sacrorum sacrificulos, Augures, Aruspices, et Gallos, qui Cybeles sacra facerent. Vnde in ll. 12. tab. sanctum erat.

Clerus vnde dictus.

Sacerdotum origo.

T Quæq;

Quæq; cuique Diuo decora, gratæ sunt hostiæ, præ
vident.

Diuisque alijs, alij sacerdotes, omnibus Pontificibus
singulis Flamines sunt.

Item.

Interpres Iouis opt. max. publici Augures, præ
& auspicijs ea vident, disciplinam reuerent.

Quæq; Augur iniusta, nefasta, vitiosa, diræ dicitur
xerit, irrita infectaq; sunt.

Bella disceptant, prodigia, portenta ad Heros
& Aruspices, si senatus iusserit, deserunt.

Erat autem huius sacerdotij magnus honor apud
Romanos qui nihil publicè aut priuatim, in quo pe-
riculum esset, suscipere solebant: nisi summo præ-
auspicio. Sacerdos proinde dicitur minister Iouis
hoc est homo Deo dicatus, consecratusque ad sacra.

Sacra quæ di-
cantur.

dum sacra. Non autem solum sacra sunt sacrificia
ara, templa, vestes, & vasa sed quæcumque reuerentur
sub nomine religionis, & iustitia consideranda, iuris
quoque leges. Inde Iurisconsulti sacerdotes iuris præ-
pellantur, l. 1. ff. de iust. et iur. quod sanctissima res
civilis sapientia: verum de his fusius apud Buldum

Sacerdotes
quemadmo-
dum apud Ger-
manos vocen-
tur.

Sacerdotij si-
gnificatio.

in d. l. 1. Hos autem nos Germani antiquo
consuetudine vulgariter Papas (à summo illo sacer-
dotum patre Papa Romano, ut opinor. dictos) voca-
lare solemus. Sacerdotium porro sacerdotis mediocris
gnitatem significat, quod faci. è cognosci potest ex l. 1.
ff. ad leg. lul. de amb. Idq; non tantum honori perpe-
rum, sed & maiestati Dei indulgetur, cuius iuris
vacare sacerdotes oportet, inquit Paulus Iuricon-
in l. non distinguemus. ff. de recep. arbit. Et Cuius præ-
Dm

Dom. Cum Licinia virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita &c. Modò sacerdotis proventum denotat. Nam apud gentiles ea sacerdotia fuerunt, qualia nos Christiani magis proprio vocabulo Beneficia appellamus. Undè Liviùs: gens Ponticia, cuius ad aram Herculis familiare sacerdotium erat. Horum autem, sicut & Beneficiorum duo fuerunt genera. Alterum quod sacris esset additum locis, quae reipublicae, aut Principum, aut Pontificum collegij collationis essent. Alterum, quod adis, aut sacelli iuris esset, à patrefamiliis ea ratione erecti deditur, ut sacrorum cura, & fructuum ipsius sacerdotij perceptio ad solam gentem familiamque suam perpetuis successoribus devolueretur. Quae sacerdotia à priscis, gentilitia beneficia, à nostris iuris patronatus dicta sunt. Haec sufficiat obiter attigisse, ut imperitiores intelligant unde deriverentur haec nomina & officia. Caterum de singulorum clericorum, sacerdotum Christianorum, atque adeo totius Ecclesiastici ordinis institutione atque origine cognitionem nullo ex alio authore rectius, planiusve, quàm ex ipsis Canonibus petere possumus. Decretis enim Romanorum Pontificum, & sacris canonibus Conciliorum, Ecclesiastica negotia terminantur. Ministri verò sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificiorum sunt summi Pontifices, & infra Praesules, & reliqui sacerdotes: quorum institutio est in veteri testamento inchoata, & in novo plenius consummata. Id quod latius cognosci potest ex c. clericos. dist. 21. Ex legibus autem huius capituli constat quales esse debeant clerici, quid illis incumbat officij, cur

Pontifex Canonum & decretorum ministri.

fiant sacerdotes quòd diuino cultui sedulo impigritate
 ab eo nullis secularibus negocijs abstrahantur. nec
 uocatione sua deficiant. desertor qua pena tenentur
 apud antiquos quanta fuerit clericorum copia, quòd
 certus eis sit victus constiterit, de pena uagatorum
 dorum & negligentium, cur à ciuibus muneribus
 sint immunes, ut ab alienis suoque officio indigenis
 occupationibus abstineant, ad forum civile, ne quòd
 in Ecclesia negligant, non esse uocando: si uero acci-
 sentur, summario processu agendum. Item à quòd de
 linquentes puniri debeant, quid illis agendum quòd
 uè omittendum. Demùm de cœlibatu & castitate
 seruanda non paucis iuribus tractatur.

**QUALLES PERSONÆ AD MŪNVS ECCLESIASTICÆ
 cum sint deligendæ, & Quid illis incum-
 bat muneris.**

IVSTINIAN. IMP. IN L. 41. (Q. V. A. E.)
 alias in lib. prætermisso. Cod. classe 1. recentetur
 C. de Episcop. & cleric. &c.

Sacerdotes
 idèd creati, ut
 pro salute rei-
 pub. orent.

CVra est adhibenda, ut irreprehensibilis
 creentur sacerdotes, qui quidem ob id pe-
 titissimum ordinantur, ut suis precibus bene-
 gnitatem humanissimi Dei rebus acquirant
 communibus, præterenti lege sancimus, ut quo-
 ties in qualicunq; ciuitate sacerdotalem se-
 dem vacare contigerit, decretum fiat ab his
 qui eam ciuitatem incolunt, super tribus peti-
 tionibus

sonis recte fidei & honeste vitæ, aliorumque bonorum & virtutum testimonium habentibus, vt ex ipsis maximè idoneus promoueat. Si enim sancti & gloriosi Apostoli sacerdotum à Domino Christo Deo consecuti, & qui bonis omnibus terram repleuerunt, & eius doctrinam omnibus impartiti sunt: neq; ipsi vite suæ, quam in hoc mundo debebant, salutis nostræ causa pepercerunt: Quomodo æquum non fuerit, vt qui subingrediuntur eorum ordinem, & instituuntur sanctissimi Ecclesiarum sacerdotes, purum habeant propositum, & pecunias contempnant, omnemque vitam suam ad clementissimum applicent Deum.

IDEM IVSTINIAN. IN D.
I. circa fin.

Clericis curandum est ne ex sola Ecclesiarum reum consumptione clerici appareant: nomen quidem habentes clericorum autem non implentes circa liturgiam Domini Dei.

Clerici non sunt vt bona Ecclesiastica abliguriant, sed vt ministeriū Domini peragant.

IVSTINIAN. IMP. IN CONST. 115.
§. sancimus. apud. Julian. Patricium &c.

Clerici suis obseruiant Ecclesijs, & sibi cōpetens Ecclesiasticum impleant ministerium. idque inquirere debet cuiuscunque ciuitatis religiosissimus Episcopus, & in singulis gradibus Ecclesiasticis Primates, vt qui ea nō custodierunt, canonicis pœnis subijciantur.

Episcopi curare debent, vt clerus recte se gerat.

T 3 NE

**NE DESERANT
RELIGIONEM, VEL SA-
CERDOTIVM.**

LEO IMP. IN L. QVISQVIS EMEN-
fis. C. de Episc. & Cleric. &c.

Clerici non
sunt abstra-
hendi ad secu-
laria negocia.

Qvisquis ad consortium se contulerit cle-
ricorum, & inter ministros verae ortho-
doxae fidei maluerit, & elegerit numerari, nul-
lius prorsus sententiae acerbitate reuocetur nec
à Dei templis, quibus se consecrauit, imper-
tunis intentionibus abstrahatur: sed in his
beatissimis ministerijs securus permaneat.

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. QVOM-
oport. Episc. &c. §. semel. autem. coll. 1.

Cleric⁹ semel
factus, ad se-
cularem statum
redire nō po-
test.

Semel autem factos diaconos aut presby-
teros nullomodo derelinquere sacerdotium,
quod non solum in presbytero & diacono
sancimus: sed etiam si subdiaconus, aut forte
lector fiat aliquis, hunc relinquere pristinum
schemata, & ad alteram migrare vitam: scien-
tem, qui si tale aliquid egerit, aut in curiam
cum substantia aut subinopia degens, ad offi-
cialem deponetur fortunam.

IDEM IN AVTH. SED NEQVE,
C. de episc. & cleric. &c.

Poenā deserenti
clericatus.

Qvicunque in quolibet Ecclesiastico gradu
constitutus, ad secularem vitam re-
dierit, honore nudatus, pristinae reddatur con-
ditioni.

VALEN-

VALENTINIAN. ET MARTIAN.

Imp. in l. fin. C. de apostat.

Qui Catholicarum Ecclesiarum clerici, vel orthodoxæ fidei monachi, relicto vero orthodoxæ religionis cultu, hæresim & dogmata abominanda secuti fuerint, omnibus pœnis, quæ legibus aduersus hæreticos constituta sunt, iubemus teneri, & extra ipsum quoque Romani imperij solum repelli, sicuti aliarum legum statuta sanxerunt.

Pœna Clericorum ad sectas hæresion deficientium.

IUSTINIAN. IMP. IN CONST. 115.

§. monachus, apud Iulian. Patricium. &c.

Generaliter definimus nulli licere in quocunque gradu Ecclesiastico posito, recedere ab eo, & inter laicos connumerari: si enim hoc ausus fuerit facere, cingulo, & dignitate, vel militia, si quam habet, expoliatus, curiæ suæ ciuitatis tradatur.

Pœna deserti clericatus.

DE FREQUENTIA ET MULTITUDINE CLERICORUM

quæ apud Vesteres Christianos in vsu fuit.

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. VT DETERM. SIT NUM. CLERIC. &c. §. Quapropter sancimus.

Sancimus non ultra sexaginta presbyteros in sanctissima maiori Ecclesia esse, diaconos autem masculos centum, & quadraginta feminas: subdiaconos vero nonaginta, Lectores autem centum & decem, cantores viginti.

De magnificentia istius templi, quod S. Sophia appellatum est, multa scribit Nicephorus ex Procopio.

T 4

Clericorū nu-
merus Eccle-
sia maioris
Constantino-
politana.

ginti quinque: ita ut sit omnis numerus reu-
rendissimorū Clericorum sanctissima maiori-
ris Ecclesie in quadringentis viginti quinque
& supra centum existentibus in ijs, qui vocan-
tur Ostiarij. In sanctissima siquidem maiori
Ecclesia huius felicissima nostra ciuitatis tres
venerabiles domos conitas ei, tanta Clerico-
rum sit multitudo: nullo quidem horum, qui
nunc sunt, excludendis: licet multo plurimum
sit numerus ab ijs, qui à nobis nunc determi-
nati sunt, &c.

IUSTINIAN. IMP. IN NOVELL. CON-
stit. 5. apud Iulian. Patric. 6. non liceat.

Clerici sine
victu necessa-
rio non sunt
constituendi.

Non liceat Clericos quidem destinare vel
creare, nullas autem eis alimonias presta-
re: sed duorum alterum, vel non faciat Cleri-
cos, vel si fecerit, det eis vnde viuere possint.

De isthac moderatione prolixius tractat
Iustinianus in Auth. Quom. oport. Episco. &c.
§. se neque.

DE PRIVILEG. ET IMMUNITATE CLERI.

IUSTIN. IN L. GENERALITER,
C. de Episcop. & cler. &c.

Clerici vaga-
bundi, vel cir-
ca ministeria
diuina negli-
gentes, non
gaudent pri-

I tantum Clerici & Monachi concessis pri-
uilegijs gaudent, qui apud sacrosanctas Eccle-
lesias, vel monasteria permanent, non diua-
gantes, neque circa diuina ministeria desides,
cum propter quadam priuilegia illis indul-
geantur.

geatur, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant.

uilegiis clericorum.

IMP. CONST. A. IN L. I. C.

Theodosiani, lib. 16.

Qui diuino cultui ministeria religionis impendunt, id est, hi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego liuore quorundam à diuinis auocentur obsequiis.

Clerici quare immunitate gaudeant.

Pars de horum priuilegiis & immunitatibus uide superioris capite, ubi de Episcopis tractatur.

NE CLERICI IMPLICENTUR FORENSIB.

alijsq; secularibus negotiis.

LEO ET ANTHEM. IMP. IN L. OMNES qui C. De Episcop. & cleric. &c.

Orthodoxa fidei sacerdotes, & clerici, cuiuscunq; gradus sint, monachi quoq; ad extranea iudicia prorahi non debent: nec quicquam eorum Ecclesias, vel monasteria propria (quæ religionis intuitu inhabitant) relinquere miserabili necessitate iubeatur: sed apud suos ordinarios ecclesiarum ministeriis obsecundent, ut his horis saltem atq; temporibus, quibus religiosos viros à turbulenta obseruatione Prætorij vacare contigerit: cumq; eos ad tempus peritorum intentio calumniosa laxauerit, ad sua se monasteria, & venerabiles Ecclesias conferentes, sapientiam, precatione

Clericos & monachos ad secularia iudicia non esse extrahendos, ne illis tempus pereat in cultu diuino.

T 5 catione

catione sollicita, faciliusq; de proximo sacro
sanctis altaribus obsecudent, in suis laribus
domiciliisque constituti.

IUSTIN. IMP. IN L. REPETITA.
C. de episc. & cler. &c.

Repetita promulgatione non solum iudi-
ces quorumlibet tribunalium, verum etiam
defensores ecclesiarum huius alme vrbis, quos
turpissimum insinuandi vltimas deficientium
voluntates genus irrepserat: pramonendos esse
se censemus, ne rem attingant, qua nemini
prorsus omnium secundum constitutionum
præcepta, præterquam magistro census con-
petit. Abiurdum etenim clericis est, si penitus
se velint ostendere disceprationum esse foren-
simum. Temerariis huius sanctionis peccata
quingenta librarum auri feriendis.

Clerici cum
causis foren-
sibus nihil rei
habere debent.

IDEM IUST. IN AVTH. VT CLER.
apud propr. Episc. prim. conu. &c.

Clerici accu-
satio summa-
rio processu ex-
pediri debet.

Clerici deli-
ctum Eccle-
siasticum ab
Episcopo pun-
iri.

Clericus lite pulsatus non diu detineatur, ne
propter huiusmodi causas factis amoveatur
obsequiis, & cum oporteat Deum placari
& decencia sacerdotibus agi, auditoriis deti-
neantur, & illic turbis, atq; in hærente tumultu
litigantium animabus. *Et pauld post.* Si ve-
rò Ecclesiasticum sit delictum, egens castiga-
tione Ecclesiastica & multa, Deo amabilis E-
piscopus hoc discernat, nihil communicandi
bus clarissimis prouinciæ iudicibus: neq; enim
volumus talia negotia omnino scire ciuiles
iudices: cum oporteat talia Ecclesiasticè exami-

minari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam, SECUNDVM SACRAS ET DIVINAS REGVLAS, QVAS ETIAM NOSTRAE SEQVI NON DEDIGNANTVR LEGES.

CLERICOS ESSE DEBERE LITERARVM DISCIPLINIS PERITOS.

IUSTINIAN. IMP. IN AVTH. QVOM. oport. Episc. & c. §. Hac autem.

Religiosos clericos cum multa fieri inquisitione secundum diuinas regulas, & boni testimonij viros ordinari sancimus, literas omnino scientes, & eruditos constitutos. Literas enim ignorantes omnino nolumus neque vnum ordinem suscipere, clericorum videlicet, presbyterorum & diaconorum, & tam sacras orationes docentium, quam ecclesiarum & canonum legentium libros &c.

Clericos debere literatos esse non idiotas.

IDEM IMP. IN AVTH. DE SANCTISS. EPISC. & c. §. Clericos autem.

Clericos non aliter ordinare permittitur, nisi literas sciant, &c.

Literati.

IDEM IN NOVELL. CONST. VI. apud Iulian. Patric. §. nemo clericus.

Nemo clericus fiat, nisi is, qui & bonum testimonium habet & literatus est: qui enim literas nescit, clericus esse non potest.

Clericus fieri non potest idiota & malemoratus.

IDEM

IDEM IN CONST. 115. §. NULLUM
alium, apud eundem Iulianum P.

Clericus sit li-
teratus, hone-
stus & Catho-
licus.

NULLUM alium clericum concedimus crea-
ri, nisi eum, qui literas scit, et rectam fidem
& honestam vitam habet, &c.

IN CLERICO RE- QUIRI CASTITATEM.

IDEM IVST. IN AVTH. DE SANCTISS.
Episc. &c. §. Clericos autem.

Clericis nec
uxores nec
concubinae
concedi de-
bent.

CLERICOS non aliter ordinare permittitur,
nisi vitam habeant honestam, & neque
concubinam aut naturales habeant filios, aut
uxorem, sed caste viuentes, &c.

IDEM IN CONST. NOVELL. CXV.
apud Iulian. Patr. c. §. nullum alium.

NULLUM alium clericum concedimus crea-
ri, nisi eum qui honestam vitam habet, &
neque concubinam, sed castitate praeditus, &c.

*Sed de hac materia tractabitur infra copiosius in
Capite. De coelibatu.*

UT SINT LARGI IN EROGANDIS ELE- MOSYN.

CONSTANT. IMP. ET IULIAN. CAES.
in l. 2. C. de episc. & cler. &c.

Clericorum li-
cite acquisita
bona ad pau-
peres specta-
re.

QUICQUID clerici vel parsimonia, vel pro-
fusione, vel mercatura, honestati tamen
conscientia, congesserint, id in usum pauperum
atque

atque egētium ministrari oportet: quod enim hoc modo conquiri potuerit & colligi, collectum id religionis exultimentum lucrum.

CLERICIS ALEÆ LVSVS PPOHIBETVR.

IUSTIN. IMP. IN AVTH. INTER-
dicimus. C. de episc. & cler. &c.

Interdicimus presbyteris, diaconis & subdiaconis, & lectoribus, & omnibus aliis cuiuslibet ordinis venerabilis collegij, aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculum spectandi causa venire. Si quis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili ministerio prohiberi, & in monasterium redigi, &c.

Clerici nec alea ludere, nec lusui vel profanis spectaculis interesse debent.

IDEM IN L. XXIII. (QVAE ALIAS
est in lib. praetermissor. Cod. classe. 1.) C.
de Episcop. audien. &c.

Clericus qui ludit aleis, vel cum ludentibus conuersatur, eisq; assidet, quiq; theatra, arenam, Circum frequentat, ab omni segregetur ministerio clericali,annonisq; suis priuetur, & tempus illi ad pœnitentiam definiatur, intra quod si dignè pœnitere videatur, sacerdotali misericordia & indulgētia dignus habebitur, si verò in vitiis persisterit, eiicietur, è clero. & ipse cum suis facultatibus curiæ ciuitatis in qua clericus erat, mancipabitur.

Pœna clerici, aleatoris, vel profanis rebus studentis.

IDEM

IDEM IVST. IN CONST. CXV.
apud Iulian. P. §. neq; Episcopus.

Pœna profani
clerici.

NEque Episcopus, neque presbyter, neque
diaconus, neque subdiaconus, neque
ctor, neque alius cuiuscunq; religiosi cons
tij, vel habitus constitutus, tablizare aude
vel socius ludentium fieri, vel spectator, vel
quocunq; spectaculo spectandi causa venire.
Ac si quis contra hæc fecerit, per tres annos
omni sacro ministerio prohibeatur, & in Mo
nasterium mittatur.

**QUOD DEUS SIT
ANIMADVERSOR IN ACTIO-**
nes malas clericorum.

Deum anim-
advertere in
vitiis clerico-
rum.

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. DE EC-
cles. rer. immobil. alien. &c. coll. 5.
SCiant clerici omnes, quia Deus respicit
quæ geruntur ab eis, & si quid egerint per
dolum, aut lucrum, aut machinationem, hoc
in suis recipient animabus viuentes ac mo-
rientes, &c.

De coelibatu
plura inferius
in præfatiõe,
De vita mo-
nastica.

DE VOTO ET COE-
LIBATV, SEV CASTITATE
à clericis observanda.

Omnis pœde-
ratio non est
digna conti-

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. QUOM-
oport. Episc. &c. §. Hæc autem.
NIHL sic in sacris ordinationibus diligi-
mus, quàm cum castitate viuentes, &c.

Sam castitatem eligentes, primum principium & fundamentum manifestum, secundum diuinas regulas, et residua virtutis constitutam.

IDEM IN L. SI QVA ILLUSTRIS. & hanc legem. C. ad senatus. Orficiam. Pudicitia semper colenda est.

Castitas est colenda.

IDEM IMP. IN AVTH. DE LENON. coll. 2.

Castitas anima prodest.

Castitas sola Deo cum fiducia potis est hominum animas presentare.

Castis solum lex subuenit. Idem in glo. proem. decre.

IDEM IN AVTH. DE TRIENT. & semis. §. consideremus: circa fin.

Non luxuriantibus, sed caste viuētibus lex praeberetur.

Sub. ver. pudicos. in prin. & glo. in cap. cū causam. sup. ver. priuileg. in prin. ex. deprobat.

IDEM IVST. IN AVTH. QVOMOD. oport. Episc. &c. §. Haec autem.

Pudicē nobis per omnia pertinet viuere.

Castitatis furtū magis quā alterius rei puniri.

IDEM IN AVTH. DE LENON.

Si furta pecuniarum & latrocinia emendantur, quomodo non multo magis castitatis furtum & latrocinium coherceri debet.

IDEM IN D. AVTH. §. 1.

Virginum vita est felicior quā continentium.

Castia vita felicissima.

IDEM IN D. AVTH. CIRCA FIN.

Redimus in Domino Deo etiam ex hoc circa castitatem studio, magnum fieri nostra reipublicae incrementum: Deo nobis omnia prospera per talia opera conferente. Quatenus ergo vos casta hac nostra fruamini dispositione, propterea hac sacratissima predicatione viuimus, ut sciatis nostrum circa vos studium.

Castimoniam vitę etiā resp. prodest.

studium, circa castitatem atq; pietatem labores nostros, per quos in omnibus bonis culti-
dini nostram rempublicam speramus.

IDEM IN L. CVM NON SOLVM
ipsum autem in fin. C. de bon. quæ liber.
acquir. &c.

Libidinē iu-
ueniētem sequi
tristem exitū.

MELIUS est coartare iuueniles calores, nec
pidini dediti tristem exitum sentiant.

QUOMODO EPISCOPI COELIBES VIVERE DEBEANT.

IUSTIN. IN AVTH. EPISCOPO C.
de Episc. & cleric. &c.

Episcopus sit
coelebs.

EPISCOPO nullam mulierem secum haberi
permittitur: sed si habere proberetur, ab Episcopo
scopatu deiiciatur, quo se fecit indignum.

IDEM IMP. IN L. XLI. (ALIAS IN
lib. prætermitt. Cod. classē. 1.) C. de Episc.
& cleric. &c. §. conuenit.

Simile est il-
lud Pauli.
Qui sine vxore
est, sollicitus
est quæ Domini
sunt, quomodo
placeat Deo: qui autē
cū vxore est,
sollicitus est quæ
sunt mundi,
quomodo placeat
vxori, &
diuifus est.
Ad Ro. ca. 7.

CONUENIT huiusmodi eligi & ordinari
cerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes:
etenim fieri vix potest, vt vacas huius quotidianæ
vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas,
omne studium, omnem cogitationem circa diuinam
liturgiam, & res ecclesiasticas consumat. Nam cum
quidam summa in Deum spe & vt animam eorum salu-
ant, ad sanctissimas accurrant Ecclesias, & omnes
suas facultates afferant, & derelinquant, vt in
pauperes, & egentes, & alios pios vius consu-

consumantur, indecens est Episcopos in suum
illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem
& cognatos impendere. Oportet enim Epi-
scopum minimè impeditum affectionibus car-
natum liberorum, omnium fidelium spiri-
tualem esse patrem.

IDEM IN AVTH. DE SANCTISS.

Episcop. &c. §. presbyteris.

Episcopum verò nullam penitus vxorē ha-
bere, aut cum ea habitare permittitur: alias
de Episcopatu proiciatur, vt qui se ostendit
indignum sacerdotio.

IDEM IN NOVEL. CONST. CXV.

apud Iulian. Patric &c. §. nullus Episcopus.

Episcopus cum muliere penitus ne habitet:
sin autem probatus fuerit hoc non obser-
uasse, Episcopatus honore reiciatur, quia se
indignum sacerdotio ostendit.

**CÆTEROS QUO-
QUE CLERICOS CONTINENTES
ESSE OPORTERE.**

HONORIVS ET THEODOS. IMPP.

in l. eum qti. C. de edisc. & cler. &c.

Ubi qui probabilem seculo disciplinam
agitur, decolorari consortio sororiae appel-
lationis non decet, quicumque igitur, cuius-
cunque gradus sacerdotio fulciuntur, vel cle-
ricatus honore censentur, extranearum sibi mu-
lierum interdicta consortia cognoscant: hac
v tantum

Episcoporum
bona ecclesia-
stica nō in li-
beros vel co-
gnatos, sed
pauperes er-
ganda esse.

Sacerdotes cæ-
libè vitā agere
debere; iura
etiam ciuilia
admonet cō-
tra honorū E-
uāgelicorum
placita, q̄ Ve-
neris sacris cæ-
lorum regno
viti fieri pos-
se, omnib. per-
suatum esse
cupiunt.
Clericis quib.
cū mulieribus
habitare li-
ceat.

Affectio n. sanguinis remouet suspitione
 l. pen. cū glo.
 sup. ver. reser-
 cante. C. de a-
 dept. & l. pen.
 §. de vno ff. de
 rit. nupt.

Clericis om-
 nib. prohibe-
 tur nuptie, ex-
 ceptis Lecto-
 rib. & Can-
 toribus.

Huius legis e-
 tiā fit mentio
 in Nomoca-
 none, tit. 9. ca.

Pœna clerico-
 rum contra-
 hentium.

Clericorum
 liberi censetur
 ex dam-
 nato coitu.

Clerici à lu-
 xuria se conti-
 neant.

tantum eis facultate concessa, vt matres, fi-
 lias, atque Germanas intra domorum suarum
 septa contineant: in his enim nihil sc̄ui crim-
 nis existimari, factus naturale permittit.

IVSTINIAN. IMP. IN AVTH. MVLTIO
 magis. C. de Episc. & cleric. &c.

Soli cantores lectoresque nuptias contrahere
 re permittuntur, aliis autem omnibus peni-
 tus interdicimus: Veruntamen si & ipsi (can-
 tores & lectores) ad secundas peruenerint nup-
 tias, nequaquam ad sacerdotij culmen al-
 cendant.

IDEM IMP. IN L. SI PRESBYTER.
 C. de Episc. & cler. &c. quæ lex etiam habetur
 in lib. prætermiff. Cod. classē. 1.

SI presbyter, aut diaconus, aut hypodiano-
 nus nuptias contraxerit, canonibus cen-
 sor (qui canones non minus quam leges va-
 lent) & præterea sacerdotio excidit: Liberi
 autem, tanquam ex illicitis nuptiis nati, neq;
 naturales, neque nothi sint, & neque ex dona-
 tione, successione, ficto debito, aut aliorum ob-
 ligatione quicquam percipiāt à patribus suis,
 sed neq; matres ipsorum: sed ea omnia capiat
 Ecclesia, in qua ille deseruerit.

IDEM IN AVTH. DE MONACH.
 §. si quis autem.

Clericis nuptias secundum sacras regulas
 penitus interdicimus, aut concubinas ha-
 bere, aut luxuriis tradere vitam.

IDEM IN AVTH. DE SANCTISS.
 Episc. §. si autem tempore. coll. 9.
 Diaconus

Diaconus non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus promiserit posse post ordinationem & sine legitima vxore honestè viuere, neque deinceps ei vxorem ducere ab ordinante permittatur. Is autem qui permittit Episcopus expellatur ab Episcopatu.

Diacon^o promittere debet castitatem.

IDEM IMP. IN §. PRESBYTERIS.

Auth. de sanctiss. Episc.

Omnibus in clero conscriptis non habentibus vxores, secundum sacros canones, interdiciamus etiam nos secundum sanctarum regulatum virtutem, mulierem aliquam in propria domo superinductam habere: tamen citra matrem, aut sororem, aut filiam, aut alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt. Si quis autem absque hac obseruatione mulierem in suo domo habeat, quæ potest ei suspicionem inferre, & semel & secundo à suo Episcopo, aut à suis Clericis admonitus, ne cum tali muliere habitaret, eiicere eam de sua domo noluerit: aut accusatore apparente approbetur inhonestè cum muliere conuersari: tunc Episcopus eius secundum Ecclesiasticos canones de clero eum amoueat, &c.

Clericis quæ concedantur mulieres.

IDEM IN AVTH. DE ORDINAT.

Episc. & Cler. §. quod autem. coll. 10.

Quod autem diuini canones prohibent clericos esse, qui secundam vxorem duxerunt, & (inter sanctos) Basilius docens: sic ait: Digamos Canon ministerio excludit, inquit,

Hec Const. alias est numero 137. & ab Antio. Contio IC. ex Græco in Latinā linguam versa.

Niceni cōcilij
canon de coe-
libatu cleri-
corum.

quit, & ex iis progenitos. Et hæc quidem Ba-
silius. In tantum autem Patribus sacerdotum
cura fuit, vt qui Nicæ conuenerunt, Cano-
nem ediderint, ita habentem. Interdixit per
omnia magna Synodus, non Episcopo, non
Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino
qui in clero est, licere subintroducã habere
mulierem: nisi fortè aut matrem, aut sororem,
aut amicam, vel eas tantum personas, quæ su-
spiciones effugiunt.

IDEM IVST. NOVEL. CONST. VI.
apud Iulian. Patr. §. qui duas.

Ad clericatũ
non admitti
digamos, vel
cōcubinarios.

QVi duas nuptias contraxerit, diaconus vel
presbyter fieri prohibetur: sed et si mu-
lierem disunctam, à marito suo, quem ipsa re-
liquit, vxorem quispian habuerit, neque dia-
conus, neque presbyter fieri potest. Idem est
si & concubinam habeat: quippe tales homi-
nes cum castitate viuere decet. Si quis autem
presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus vxo-
rem duxerit, vel concubinam habuerit, siue
clàm siue palàm, siue sub aliqua figura, cadat
clericatus honore, & sit priuatus & Laicus.

Clerici coniugati
vel cōcubi-
narij poena.

IDEM CONST. XXXVI. APVD
eund. Iulian. §. clericus.

Ad clericatũ
qui non ad-
mittantur.

Clericus qui supra Lectores & cantores est,
veluti subdiaconus, vel diaconus nullas
nuptias contrahere audeat: alioquin sacerdo-
tio cadat. Lector quoque si secundas contra-
xerit nuptias, ad maiorem gradũ ordinis Ec-
clesiastici prohibeatur ascendere, Laicus etiã
si ap-

si appareat vxore coniunctus esse, quæ alium maritum habuit, aut si non iure coniunctus sit, aut si ipse aliam vxorem habuit, neq; subdiaconus, neque Diaconus neque Præsbyter fieri poterit. Nam etsi clandestinis artibus ad consecrationem irrepserit, honore eius cadat.

IDEM CONST. CXV. APVD IV-
lian. &c. §. si diaconus.

Diaconus, vel Subdiaconus futurus non aliter consecratur, nisi prius à consecratore interrogatus promiserit posse post consecrationem & sine legitima vxore castè viuere, non concedendo consecratore tempore consecrationis Diacono, vel Subdiacono futuro permittere, vt post consecrationem vxorem accipiat: quòd si hoc permiserit fieri, Episcopatu suo repellatur.

Castitatis promissio.

IDEM IVST. IN D. CONST.
§. Presbyteris.

Omnibus in clero constitutis non habentibus vxores, secundum diuinas regulas, interdiciamus & nos habere mulierem in domo sua, excepta matre & filia, & sorore, & aliis personis, quæ omnem quærelam effugiunt. Si quis autem aduersus istam obseruationem mulierem in domo sua habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, & ille à cōclericis suis audierit cum tali muliere non habitare, & noluerit eam à domo sua repellere, vel accusatore emergente probatus fuerit cum tali muliere inhonestè versari: tunc Episcopus

Quibus cum feminis habitare liceat clericis.

pus secundum Ecclesiasticos canones à clero eum repellat, curia ciuitatis, cuius clericus est, tradendum.

CONSTANTINVS HARMENOPVLVS
ex Iustinianais Constit. lib. 4. tit. de cleric.

Hypodiaconi & presbyteri vxores habere prohibentur omnino. Vnde & si præter huius constitutionis præscriptum concubio mulieri iungantur, de sacerdotio deiiciantur, ac sua spolientur dignitate.

**NEQUE MONA-
STICIS RELIGIOSIS CON-
CEDI MATRI-
MONIUM.**

IUSTINIAN. IMP. IN CONST.
4. apud Iulian. Patr. §. si quis monachus.

Monachis nõ
conceduntur
vxores.

§ Militia hic
non solum ea
intelligitur, q
ad arma spe-
tat: nam uni-
uersitatē hæc
vox designat:
hinc militia
aduocatori
Impp. Leonis
& Anth. cõ-
stitutione: itē
militia pala-
tina, pro om-

Si quis monachus constitutus clericatus honorem acceperit, nullam habeat facultatem vxorem ducendi, quamuis eius gradus sit, cuius clericus non prohibetur vxorem habere: qualis est gradus Cantorum & lectorum, non solum autem vxorem ducere prohibetur, sed etiam concubinam habere. Si quis autem monachus ante constitutus clericatus occasione vel duxerit vxorem, vel concubinam habuerit: eiiciatur de Clero, & sit priuatus, ad nullam militiam § vel professionem aliam audens venire, nisi fortè velit in antefatas penas incidere.

IDEM

IDEM CONST. CXV. APVD EVN-
dem Iulian. §. Si monachus.

Monachus in tali gradu constitutus, in quo clericis licet vxorem ducere, non audeat ipse hoc facere: alioqui si concubinam, vel vxorem duxerit, curiæ, vel officio, vel conditioni, cuius antea fuerat, restituatur.

IDEM IVST. IN NOVEL. CON-
stit. 6. apud Iulian. Patr. §. ea quæ diximus.

Diaconissas creari constitutio præcepit, si quinquaginta annorum ætatem agant: ita tamen, vt virgines sint, vel si vnum tantummodo habuerint maritum. Si autem mulier propter aliquam necessitatem minor quinquaginta annis Diaconissa facta fuerit, non liceat ei alibi degere, quam in Asceterio sandimonialium mulierum, vbi neque mares conuersantur, nec viuere liceat ei quomodo velit. Nulla autem facultas Diaconissis tributa est habere quosdam secum veluti fratres, siue cognatos, veluti quos dicere solent ἀγαπώτους, id est, dilectos. Nam diaconissæ vel per se habitare debent, vel nullum alium admittere secum, nisi reuera fratrem: sin autem aliqua suspicio sit, quasi simulatus frater cum ea degerit: vel ab initio non consecratur, vel si consecrata fuerit amittat honorem: pœnas autem cum corruptore patiatur eas, quas sacræ cōstitutiones aduersus corruptorē definiunt.

nib. qui in pã-
latio militat,
vt in Breuiar.
Theodosij: mã
litia literata,
cafarũ rescri-
ptis. C. de px-
sacr. scrip. Itẽ
militia nego-
ciatorum &c.
de quib. vide
Alciat. lib. p̃-
termissor. i.

Diaconissam
esse debere
quinquagin-
ta annorum.

Diaconissæ
non debent
consuetudinẽ
habere cum
viris.